

Feuilles 3 à 4 verso : Bartholomaeus Eustachius lectori salutem.

De cet avis au lecteur, nous détachons le début, qui présente un réel intérêt et duquel il résulte que CONSTANTIN RHALLIS a collaboré à cette édition.

Multi sane extiterunt qui difficiliores Hippocratis dictiones exponentes, sublime eius dicendi genus ab eo quo alii Græci usi sunt qui de re medica post illum scripserunt longe diuersum omni studio et diligentia illustrare conati sunt. Sed tanta fuit hominum negligentia, ne quid grauius dicam, ut solus Galeni libellus *Explanatio linguarum Hippocratis* inscriptus adhuc in lucem prodierit : lucubrationes cæterorum expositorum, quorum maximus est numerus, uel interierint, uel certe nondum in apertum relate cognoscantur; quam ego iacturam sæpius cum animo meo considerans et de ea ualde sollicitus, sedulo inuestigare cœpi num aliquem ex eis forte fortuna inuenire possem. Demum, post multum diuturnumque laborem, resciui Erotianum, quem sciebam hoc in genere non inutilem operam nauasse, in Vaticana Bibliotheca reperiri. Hac re audita et diligentius explorata, non sine maxima animi mei molestia certior fio hunc libellum, nullo relicto exemplo, Heluetium quendam surripuisse, eius legendi facultate a bibliothecæ præfectis impetrata. Deterruit me id maximopere, et fortasse factum esset ut ab hac cogitatione animum omnino abducerem, nisi me, præter opinionem, amicus quidam tum mihi occurrentis admonuisset ne spem plane abiicerem reperiendi Erotianum : scire se eum libellum uolumini Hippocratis adiunctum, quod alij ferme omnes ignorabant, in eadem bibliotheca extare. Hac spe ductus, studiose inquiero : tandem inuenio libellum : sed, ne uoti compos fiam, totum lacerum et in plerisque locis mutilum. *Illico uero CONSTANTINV M RALLVM, natione Græcum, eiusque linguae peritisissimum et multæ lectionis uirum, conuenio : simulque Viuianum Brunorum, græcarum litterarum apprime studiosum, adeo; eosque in laboris honesti societatem uoco : ipsi uero, pro summa humanitate, et quia quisque nostrum amplissimo cardinali Urbini inseruit et domi suæ alitur, mihi facile obtemperarunt.* Insudauimus igitur simul omnes, donec effecimus ut Erotianus, qui tam diu delituit, possit a bonarum artium studiosis nostræ

